

Part. III. Memb. II. cap. IV. (2) Fixas etiam, quanquam minorem habeant vim in agendo & movendo hæc inferiora, quam planeta, quòd remotiores à terra sint ac tremulo micent lumine, harum tamen etiam virtutem per experientiam, æquè ac planetarum, esse deprehensam, eamque juxta Planetarum naturas, quas splendore & colore suo referunt, exerceri &c. Vid. prolixus Fixarum catalogus ap. Argol. Lib. III. cap. XXIX. à p. 540. ad 562. usque.

IV. Verùm enimverò, ne infinitus quidem hic agentium coelestium numerus, hoc modo ad paucas elementarium qualitatum varietates restrictus, infinitæ isti mutationum aërearum diversitati explicandæ poterat sufficere. Ideò multis aliis opus erat subsidiis, quorum unum *secundò* petebatur à communi stellarum omnium receptaculo, coeli puta, purissimæ licet & simplicissimæ semper creditæ substantiæ, in 12. partes elementaribus qualitatibus iterum distinctas, & Signa duodecim Zodiaci generatim appellatas, speciatim autem, Arietis, Tauri, cæterisque, notis etiam lippis tonforibusque, nominibus, horumque loco signis sive notis ♃, ♄, ♀, ♁ &c. (unde generalis appellatio) insignitas divisione; quorum tria igneæ, h. e. calidæ & siccæ naturæ, ut ♃, ♄, ♀, tria terreæ, frigidæ & siccæ, ut ♁, ♁, ♁, tria aëreæ, calidæ & humidæ, ut ♁, ♁, ♁, tria denique aqueæ, frigidæ & humidæ conditionis credebantur, ut ♁, ♁, ♁: Ut scil. hoc pacto operationes planetarum sub his signis coelestibus perpetuò quasi errantium, aut intendi aut remitti, nunc impediri nunc extolli, innumerisq; adeò modis variari commodè dicerentur. Quin & ulterius hæc ipsa 12. signa inter 7. planetas (tunc enim plures dari adhuc ignorabatur) ingeniosâ quadam iniquitate divisa (Soli enim & Lunæ non nisi una, illi ♄, huic ♁, cæteris autem bina, h nempe ♁ & ♁, ♁, ♁ & ♁, ♁, ♁ & ♁, ♁, ♁ & ♁, ♁ denique ♁ & ♁, assignabant) & pro cujusque domiciliis propriis agnita, tantò majorem dignitatem & efficaciam suis quæque dominis adscribebant, cum is domi suæ ageret, quam cum in peregrinis oberraret; quemadmodum & ♁ in trigono igneo, ♃, ♄, ♀ versanti, & sic cæteris in trigonis aliis homogeneæ naturæ dominantibus, multò efficacior, quam alibi, virtus adtribuebatur. Evolvatur Argolus Lib. III. cap. I. Orig. Part. III. cap. III. & IV.

V. Non solum autem *tertiò* Lunæ à Sole quovis mense digredientis & ad ipsum gradatim iterum accedentis varians indies ad ipsum